

vitæ perpetuam innocentiam adjunxerat : simul is multum patris opibus , & gratia, qui summo proximum in civitate magistratum gerebat, multum clientelis, necessitudinibus, propinquitatibusque pollebat : quibus tamen in rebus omnibus satis sibi præsidii non habuit, cum pluris a patribus una legum charitas majestasque quam ullorum civium omnibus aucta nominibus dignitas atque claritas, fieret. Decemviri enim literas ad eum severe scriptas dederunt ; mora omni excusationeque sublata, sacerdotium repudiaret : id si non faceret, patrem magistratu remoturos, & bona ejus publicaturos præ se tulerunt . At pater, perspecta civitatis voluntate, omnibus tentatis rebus, cum jam eam flecti & leniri posse diffideret, ægritudine animi est mortuus . Filius non molto post Rōmæ, editis Plinianis castigationibus, immensi prope laboris opere, privatus plebejo morbo periit . eum vitæ finem Hermolaus habuit, omnium ex sua civitate, qui ante illum nati essent, Latinorum & Græcorum literis plane doctissimus .

Eo tempore ab Hieronymo Marcello literæ Byzantio 1491
venerunt : erat is Venetus eo in oppido vetere consuetudine magistratus : quibus literis Marcellus Senatum certiorem faciebat, sibi ab rege imperatum statim Byzantio discederet : ejus rei causam fuisse, quod rex diceret Marcellum suis de rebus & consiliis ad Senatum scripsisse : velle se atque decrevisse, posthac suo in oppido ei magistratui locum non esse : fœdere tamen, quod cum Venetis haberet, uti antea tenebatur, se se teneri . His de causis Senatus ad regem Dominicum Trivisanum legavit, qui prima ad navigandum idonea tempestate proficiscetur. Neque multo post, anno insequente vix inito, regis 1492
legatus ad Senatum venit, exposuitque patribus, quas ob causas Bajafetes magistratum eorum Byzantio removisset : erant autem fere illæ ipsæ, de quibus ad Senatum Marcellus perscriperat : adjunxitque illud idem etiam omnibus aliarum nationum magistratibus fuisse denunciatum, quod Rex Marcello imperavisset . Iisdem diebus antequam mensis januarius desineret, ornandi eos cives causa,

H. Bembi.

C 3

qui

1491
Zachariæ
Barbari,
Hermolai
patris, mors
mens. De-
cemb.

1493
& Her-
mo-
lai mens.
jul.